



**Emblemata selectiora, typis elegantissimis expressa, nec non  
sententiis, carminibus, historiis ac proverbiiis, ex scriptoribus  
cum sacris tum profanis, antiquis & recentioribus, illustrata**

<https://hdl.handle.net/1874/31574>

EMBLEMATA  
SELECTIONIORA.

TYPIS  
ELEGANTISSIMIS EXPRESSA,  
NEC NON

*Sententiis, Carminibus, Historiis ac Pro-verbiis,  
ex scriptoribus cum sacris tum profanis,  
antiquis & recentioribus, illustrata.*



*Sumptibus Authoris & veneunt*  
AMSTELÆDAMI,  
Apud FRANCISCUM vander PLAATS.  
M D C C I V.

# AD LECTOREM.



Non ego, sicut Citharædi quon-  
dam suas prælusiones populo con-  
fluenti dabant. Tibicines τὸ ἐνδύσει-  
μον ordiebantur, Choraulæ Mu-  
fici ante cantum in nabliis prælu-  
dio, ut Theocritus vocat, διαδρύπτειν solebant, te  
LECTOR BENEVOLE in limine morabor. Hu-  
jus generis libri quot hoc sæculo prodire, juxta  
mecum nosti; tanto quidem gratiores, quanto ap-  
tiores ad usum vitæ quotidianæ. Nec mirum; figu-  
ræ typis expressæ gratiam quandam addunt, & sin-  
gulæ unico momento representant, quod vix inte-  
gro volumine dici posset. Nova autem & vetera hic  
apposui, quæ si compillasse me aliquis dixerit, nihil  
refert, si modo bona compilaverim. Nec enim ara-  
nearum textus ideo melior, quia ex se fila gignunt,  
nec meus quoque vilior, quia ex aliis instar apis libo.  
Bracteatam vero eloquentiam & è pelvi fugorem aliis  
relinquo: ampullas non fundo, locos Rhetoricos  
non tracto, numeros non sector, denique conciones

## A D L E C T O R E M.

non inscribo, nec partes Tullianas mihi sumo. Alii  
 meros flores loquantur, alii folia & inutiles ramos  
 diffundant: tu mi Lector si fructum legeris, opti-  
 mam partem elegeris. Pleraque tamen congesta è  
 scriptoribus cum sacris tum profanis, Philosophis &  
 Poëtis, trita nonnunquam, si quis causetur, re-  
 ponam vulgatum illud: *Nunquam satis dicitur,*  
*quod nunquam satis discitur.* Zoilos autem, Mo-  
 mos, Mastigophoros, & similis farinae homines  
 minime curo, siquidem probe novi, promptius esse  
 omnibus judicare quam facere, & de castrensi mu-  
 nimine, pericula secundo vultu conspicerè. Opti-  
 me sane Sedulius: *Proferant sua, qui carpere nitun-*  
*tur aliena.* Et Martialis:

*Carpere vel noli nostra vel ede tua.*

EMBLE-



# EMBLEMATA

## SELECTIORA.

## I.

TUTAM ME COPIA FECIT.

*In medio luxu securam degere vitam;  
Hæc siqua in terris, vita beatamibi est.*

**S**I cuiquam contingat, dum res secundæ sunt, pacatam atque tranquillam vitam degere, non est profecto, quod sibi amplius à Deo petendum in terris putet. Nam, ut ait Cicero, *nihil homini magis optandum, quam prospera, æqualis, perpetuæque fortuna, secundo vitæ sine* Ad Quir. post relictum. *ulla offensione cursu.* Tamen cum illud plane divinum sit, rebus omnino non moveri, nec quicquam sibi adversum pati, tranquillam, felicem, atque securam vitam is degere recte dicetur, qui nullius mali sibi conscius, se suaque omnia illi committit, qui novit suis cultoribus congrue profutura præstare. Felicem vero qui se jactet, quod deliciis affluat, cum interim peccatum sit in conscientia; & securum, quod sibi ab aliis nihil timeat, cum vel a se ipso satis habeat timendum, is profecto mihi non sapere sed plane

A


desi-

TUTAM ME COPIA FECIT .  
In medio luxu securam degere vitam ;  
Haec , siqua in terris , vita beata mihi est .



**VEILIG IN WEELDEN:**  
*Die mag zich recht gelukkig noemen .  
Die veilig prykt in weelden bloemen .*

desipere videtur. Etenim voluptas semper habet famem sui,  
*In quadam* & transacta non fatiat. *ep.* *Mens*, inquit Bernhardus, *assue-*  
*ta deliciis, nec exculta disciplina sarculo, multas con-*  
*trahit sordes.* Et Chrysofomus: *Centum, si placeat,*  
*De repa-* *annos demus deliciis, adde & alios centum; si libet,*  
*vat. laps.* *insuper decies centum; quæ erit ex his ad æternitatem*  
*compensatio? Nonne tempus vitæ hujus, quo deliciis*  
*frui videmur, quasi noctis unius somnium? Securus au-*  
*tem nemo debet esse, cum a se ipso securus non sit. Sæpe*  
*In moral.* *enim (verba sunt Gregorii) quem tentationis certamen su-*  
*perare non valuit, sua deterius securitas stravit.*



**SUBITO MUTABILE COELUM EST.**  
*Quae nunc puppis arat coelo tranquilla sereno*  
*Aequora, mox ventis obruiturque mari.*

**'T KAN SCHIELYK VERKEEREN.**  
*De zon die't schip vol gunst bestraald.*  
*Door storm het hoofd haast onderhaald.*

## I I .

## SUBITO MUTABILE COELUM EST.

*Quæ nunc puppis arat cælo tranquilla sereno  
Æquora , mox ventis obruiturque mari.*

**S**ecundis moderate gaudendum. Nam, ut ait Seneca: *Ep. XXIV.*  
*Neminem eo fortuna provexit , ut non tantum illi  
minetur , quantum promisit.* Subito mare vertitur , ac eo-  
dem die , ubi luserunt navigia , sorbentur. Inquieta sem-  
per felicitas , quæ stare loco nescit , & specie , dum videtur  
blanda , mentitur. Hinc illud Ciceronis: *O Fallacem ho-* Lib. de  
*minum spem , fragilémque fortunam , & inanes nostras* Orat.  
*cogitationes , quæ in medio spatio sæpe franguntur , &*  
*corruunt: & ante in ipso portu obruuntur , quam portum  
conspicere potuerunt.* Etenim ut ait Comicus:

*Τὰ θνητὰ πάντα μεταβολὰς πολλὰς ἔχει.  
Mutantur humana vario modo omnia.*

Et Seneca:

*In Thyest.*

*Nemo tam Divos habuit faventes ,  
Prospera ut possit sibi polliceri:  
Res Deus nostras celeri citatas  
Turbine versat.*

OTCA JL



**ADEO À TENERIS ADSUESCERE MULTUM EST.**  
 Sis licet usque potens, Natura, evertere mores  
 Consuetudo tuos ast aliquando valet.

**DE OPVOEDING IS VAN GROOT VERMOGEN.**  
 Zoo als men windé en huis-hond wende,  
 Men haast uit hunne driften kende.



*In Phorm.* Quamobrem optime non minus quam verissime Terentius:

- - - *Omnes cum secundæ res sunt, tum maxime  
Meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam  
ferant.*

*IV. ad  
Herenn.*

Idem ille, quem modo dixi, Cicero: *Sapienter cogitant,  
qui temporibus secundis casus adversos reformidant.*

Exemplum illustre præbuit Epaminondas, qui cum alias solitus esset uncto corpore, hilarique vultu prodire in publicum, postridie ejus diei, quo feliciter pugnatum est in Leuctris, processit squalidus ac submissus. Amicis autem sciscitantibus, ecquid illi molestum accidisset: *Nihil,* inquit, *sed heri sensi plus æquo mihi placuisse: ejus gaudii intemperantiam hodie castigo.* Adeo metuit arrogantiam vir Bæotus ac militaris, & nos non idem faciemus, quoties secunda fortunæ aura res nobis succedunt?



**REI DOMESTICAE CURA, AMPLISSIMA UXORI GLORIA.**

Hanc sat magnificam sibi palmam vindicet uxor,

Vt curet gnava sedulitate domum.

**HUISLYKHEID IS 'T VROUWEN KROON CIERAAD.**

*Wat kroon zoo om een vrouw te cieren,*

*Als 't neerstig vreedzaam huis bestieren!*

## I I I.

## ADEO A TENERIS ASSUESCERE MULTUM EST.

*Sis licet usque potens natura, evertere mores  
 Consuetudo tuas est aliquando valet.*

**L**Ycurgus is, qui Lacedæmoniis leges condidit, cum conaretur cives suos à moribus præsentibus ad temperantiorē vivendi rationem traducere, eosque virtutis & honesti studiosos reddere (nam erant corrupti deliciis) duos educavit catulos eodem patre eademque matre progenitos, quorum alterum passus est domi deliciaribus vesci cibis, alterum eductum venatibus exercuit. Dein cum ambos produxisset in forum, posuit illic spinas, simul & escas aliquas deliciores, mox emisit leporem: cum igitur uterque raperetur ad assueta, alter ad escas, alter leporem invaderet: *Nonne videtis, inquit, cives, duos catulos, cum ejusdem sint generis, tamen ob diversam educationem admodum dissimiles inter sese evasisse, plusque ad honestum momenti habere exercitationem quam naturam.* Sunt qui dicant ab illo productos catulos, non quidem ex iisdem parentibus natos, sed quorum alter esset ex ignobilium canum genere, qui aluntur ad ædium custodiam, alter ex his qui aluntur ad venandum. Deinde qui erat ex ignobiliore genere exercuit ad venatum, alterum qui erat ex præ-

5  
**LENTO GRADU ITUR SECURE.**  
*Festina lentè. Cui praeceps profuit unquam  
Cursus? at interitum saepius ille dedit.*



**DIE LANGZAAM GAAT, GAAT ZEEKER.**

*Wie veiliglyk zich wil gedragen,  
Moet nimmermeer te schielyk jagen.*



stantiore genere tantum deliciis exercuit. Jam cum uterque ferretur ad ea quibus assueverat, atque hoc pacto palam omnibus fecisset Lycurgus, quantum institutio valeret, tum ad meliora, tum ad deteriora, dixit: *Proinde ne nobis quidem & cives nobilitas, quam miratur hominum vulgus, ductumque ab Hercule genus, profuerit, nisi ea gesserimus, per quæ ille mortalium omnium clarissimus ac generosissimus existit, ac per omnem vitam quæ honesta sunt & discamus & exerceamus.* Reperit vir ingeniosus viam, qua multitudini philosophicis rationibus non satis idoneæ, virtutis imaginem ob oculos poneret. Quod autem ille fecit in civitate, hoc cuique patrifamilias in sua domo, cuique moderatori in suo grege faciendum est. Nam quanquam res effiçax est natura, potentior tamen est institutio, quæ malam naturam corrigit & vertit in bonam.



**MEDIUM TENUERE BEATI.**

*In medio fixis se gradum, pulcerrima virtus:  
 Ultra tendentem certa ruina manet.*

**MIDDELMAAT HEEFT VASTE STUTTEN.**

*Wie hooger klimt als middelmaat,  
 Heel licht door topzwaarte overstaat.*



I V .

REI DOMESTICÆ CURA, AMPLISSIMA UXORI  
G L O R I A .

*Hanc sat magnificam sibi palmam vindicet uxor,  
Ut curet gnava sedulitate domum.*

Γυναϊκὶ κόσμος ὁ πρόπος, καὶ κρυσιὰ, inquit Comicus: *Mo-  
res mulierem decorant, non monilia:* quo cum conve-  
nit Crates: *Mulier non ornatur auro, neque purpura,  
neque smaragdīs, sed iis quæ vim & speciem addunt ho-  
nestatis.* Hinc illud Pauli: *Velim igitur, mulieres sese* <sup>I Tim. II. & III.</sup>  
*ornent non cincinnis, vel auro, vel margaritis, vel veste*  
*pretiosa, sed bonis operibus, non detrahentes, sed fideles*  
*in omnibus.* Laudatur autem proba præcipue ab industria  
& verecundia: *Mulier sapiens, ait Salomon, ædificat do-* <sup>Prov. V.</sup>  
*rum suam, & fortis oblectat virum suum, & annos vitæ*  
*illius implebit in pace.* Simile est, quod habet Græcus:

Γυνὴ γὰρ οἴκῳ πᾶσι καὶ σοτηρία.  
*Uti exitium uxor, ita & salus ædibus.*

Vulgatum jam dudum:

Γυναῖκος ἐσθλῆς ἐστὶ σῶζειν οἰκίας.  
*Quæcumque mulier est proba, hæc servat domum.*

Notum illud quoque Virgilii:

Lib. VIII.  
Æneid.  
- - - *Ser*



**PREMIMUR PONDERE QUISQUE SUO.**  
Nil non mole aliqua fecit Natura gravatum:  
Mortales premimur pondere quisque suo.

**ELK DRAAGT ZYN EIGEN LAST.**  
*Wat mensch dien eigen last niet drukte,  
Miens nek niet vaak voort slaafjuk bukte?*

- - - - - *Seu femina primum ,  
Cui tolerare colo vitam , tenuique Minerva  
Impositum , cinerem & sopitos suscitatur ignes :  
Noctem addens operi , famulas ad lumina longo  
Exercet penso ; castum ut servare cubile  
Conjugis & possit parvos educere natos.*

*Eccles.  
XXVII.*

Talem qui possidet , inchoat possessionem. Adjutorium secundum illum est , & columna , ut requies.

DAT CUNCTA MOVERI.

*Ovid. lib.  
II. de art.  
amandi.*

*Dum vires annique sinunt , tolerate labores :  
Jam veniet tacito curva senecta pede.*

*Cap. X.  
v. 30.*

*Optime Syrach : Melior est operatur & abundat in omnibus , quam qui gloriatur & eget pane. Nam ut ait Regum sapientissimus : In omni opere bono erit abundantia , ubi autem verba sunt plurima , ibi frequenter egestas. Ad opus autem cum veneris , ita temperabis , ut sollicitudo operis agendi animum tuum ab iis , quæ Dei sunt , non avertat.*

*Bernb. in  
Doctrina.*



**SUUM CUIQUE TRIBUE .**

*Aequum, cerne, levi momento distat iniquo:  
Ad leges aequi dirigat omne manus .*

**IN ALLES IS D'EVENAAR TE HOUDEN .**

*Die mensch heeft wis t' gerustste leeven,  
Die elk naar recht het zyn kan geeven .*



## V.

## LENTO GRADU ITUR SECURE.

*Festina lente. Cui præceptus profuit unquam  
Cursus? at interitum sæpius ille dedit.*

**P**roverbium hoc, *Festina lente*, non inveniustam ænigmatis speciem præ se fert: propterea quod constat verbis inter sese pugnantibus. Vim autem & sententiam si æstimes, quam hæc tam circumcisa vocum brevitatis in se complectitur, quam fit fecunda, quam gravis, quam salutaris, quam ad omnem vitæ rationem late patens, profecto facile decesseris in hanc sententiam, ut in tanto Proverbiorum numero non arbitreris ullum aliud esse perinde dignum, quod omnibus incidatur columnis: quod pro templorum omnium foribus describatur, & quidem aureis notis: quod in principalium aularum valvis depingatur: quod primatium insculpatur annulis: quod regis in sceptris exprimitur, denique quod omnibus ubique monumentis repræsentetur, propagetur, & celebretur. Etenim, uti mola justo velocius circumacta, facile flammam concipit: ita qui nimium festinat, operam sæpe perdit. Imprimis principis vel semel præcipitatum consilium, Deum immortalem! quantas tempestates nonnunquam excitat, quantas rerum humanarum ruinas secum trahit: cum contra maturitas quædam ac moderatio, simul ex vigilantia lenitudinèque temperata, ut neque per temeritatem quicquam faciat pœnitendum, neque per socordiam quicquam prætereat, quod ad Reipub. commodum pertinere videatur, felicitatem adferat, haud quaquam ipsis

**METUE SUBLIMIA.**

**Stas in praecipiti, qui scepro inniteris; illinc,  
Ni circumgestes lumina mille, rues.**



**STELTE IS GEVAARLYK.**

*Wie op den Ryks staf't lyf wil wagen,  
Moet zich voor al voorzichtig dragen.*



imperii terminis circumscribendam, sed & undique longe lateque ad finitimos populos dimanantem. Trifariam vero uti licebit hoc Proverbio: primum si quando admonebimur, diutius deliberandum, quam aggrediamur negotium: posteaquam statuimus, tum velociter peragendum: nam ut ad consultandi moram pertineat ancora, ita ad conficiendi celeritatem delphinus. Huc pertinet illud Sallustianum: *Antequam incipias, consulto: Et ubi consulueris, mature facto opus est.* Alter usurpandi modus erit, cum admonebimur affectus animi, veluti rationis habenis reprimendos esse. Siquidem Plato animum hominis in tres partitus partes, rationem, iracundiam, concupiscentiam, in hoc Philosophiæ summam sitam esse putat, si affectus pareant rationi non aliter quam regi: cui quidem ob id ipsum sedem in cerebro, velut in arce datum existimat. Tertia utendi ratio erit, cum admonebimur, in omni negotio vitandam præcipitem celeritatem; quod vitium quibusdam ingeniis peculiariter insitum est, ut illis in omni re quantulacunque mora longa videatur. Hujusmodi festinationis comites esse solent error & pœnitentia juxta versiculum apud Græcos celebrem:

*Multis malorum causa est præcipitantia.*

His occinendum nobile illud Catonis dictum: *Sat cito, si sat bene:* cujus mentionem fecit divus Hieron. scribens ad Pam-machium in hæc verba: *Scitum est illud quoque Catonis: Sat cito, si sat bene, quod nos quondam adolescentuli, cum à perfectò oratore in præfatiuncula diceretur, risimus.*

VI. ME-

**PLANIORA SUNT COMMODIORA .**  
*Ne nimium adscendas, non sunt sublimia tuta :  
Quae minus est praeceps, aptior illa via .*



**DE MINSTE STEILTE GEMAKKELYKST.**

*Het Slekje dat zyn huys mee draagt,  
De minste steilte 't best behaagt .*

## V I.

## MEDIUM TENUERE BEATI.

*In medio fixisse gradum, pulcherrima virtus:*

*Ultra tendentem certa ruina manet.*

**N**imis alta qui petunt subito sæpe casu temeritatis suæ poenas luunt. Optimum in re qualibet mensura, neque quicquam tentandum ultra vires modumque: quod ita extulit Hesiodus:

*Μέτρα φυλάσσεισθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος.*

*Mensuram serva, modus in re est optimus omni.*

Idem fere habet Plautus in Pœnulo:

*Modus omnibus in rebus, soror, est optimus.*

Horatius dixit:

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines.*

Huc pertinent varia Apophthegmata, quorum primum maxime celebratum, & olim pro foribus templi Delphici ab Amphictionibus inscriptum, γνῶθι σεαυτὸν, *Nosce te ipsum*. In quo quidem Proverbio modestiæ mediocritatisque commendatio est, ne nobis vel majora, vel etiam indigna sequamur. Quam sententiam ita complexus est Pindarus: θνητὰ θνητοῖς πρέπει: *Mortalia mortales decent*. Alterum est illud Por-



**LABORE ET COELI FAVORE.**  
 Et Phoebus et manibus cultricibus exit in altum  
 Surculus: alterutro deficiente perit.

**DOOR ARBEID EN ZEEGEN.**  
 Den teg die's hemels glansch bestraalde,  
 Haast schaduwryk vol vruchten praalde.



phyrion: *Intra tuam pelliculam te contine*; quo vetamur oblitum fortis nostræ, majora conari, quam pro nostra facultate. Sumptum id, meo iudicio, ab asino illo Cumano, quem Apologi fabulantur, adaptasse sibi leonis exuvium, atque ita sese ad tempus pro leone gessisse; donec agnitus, & magno omnium risu aliena pelle exutus, fustibus ad necem caderetur. Tertium est, *μηδὲν ἄγαν*, *Ne quid nimis*: quod Diogenes Laërtius Pythagoræ adscripsit: Aristoteles Bianti: alii Thaleti, alii rursus Soloni.


*Rectius ego puto, quod sint mediocria cuncta.*

*Lib. III.  
de leg.*

Quartum est: *Dimidium plus toto*. Hoc ænigmate proverbiali iterum commendatur aurea mediocritas. Plato: *Nonne quod ignoraverint Hesiodum rectissime dicentem, dimidium saepe numero plus esse quam totum, videlicet cum totum accipere noxium fuerit, dimidium autem moderatum*. Ad eundem modum enarrant Hesiodi interpretes: in toto significatam esse *τὴν πλεονεξίαν*, in dimidio *τὴν ἰσότητα*. Siquidem qui dimidio contentus est, is medio consistit: contra quisquis ad totum usque progreditur, is mediocritatem prætergressus, ad extremum perveniat oportet. Cætera supersedeo.

FOVENTE COELO PROVENIUNT OMNIA. 12

Ridet ager, plenisque seges turgescit aristas,  
Descendit coeli dum favor irriguus.



**HEMELS INVLOED MAAKT ALLES VRUCHTBAAR.**

*Al't aardryks vruchtbaarheid en kracht,  
Word van des hemels gunst verwacht.*



## V I I.

## PREMITUR PONDERE QUISQUE SUO.

*Nil non mola aliqua fecit Natura gravatum :  
Mortales premimur pondere quisque suo.*


**E**Jusdem fere argumenti est quod vulgo dicitur :

- - - *Nihil est ab omni parte beatum.*

Nam quanquam aliena nobis, nostra sæpe plus aliis placent; tamen nulla est fortuna, quæ non admixtum habet aliquid infortunii, nulla felicitas, quæ non quodammodo est infelix, nullus in terris status, qui non aliqua ex parte calamitosus. *Bonum invenire Demea nullum potes, admixta cui non aliqua portio mali*, ut ait ille: aut si mavis Græce:

*οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ ἐνδαιμονεῖ;  
εἶναι δ' ὑπόλαβε καὶ σε τῶν πολλῶν ἕνα.  
Beatus omni ex parte nullus uspiam,  
Unum esse de multis putato te quoque.*

Regna, imperia, honores, nobilitas, divitiæ, opes, & quæ sunt alia iis similia, nemo unquam mortalium sine dolore possedit. Vita scilicet, quam vivimus, laboriosa, plena miseriis, obsessa calamitatibus, in qua finis alterius mali gradus est futuri. *Prospera hujus mundi*, inquit Augu-<sup>Epist.</sup>  
stinus, *asperitatem habent veram, jucunditatem falsam.*<sup>XXXVI.</sup>



**FERTILIOR IMBRE RIGATUS AGER.**

*Irrorat terras pluvio dum Iupiter imbre,  
Nil non in terris fertilitate viget.*

**REEGEN BAARD ZEEGEN.**

*Die's hemels reegen mild besproeid,  
Ter voller bloei en grootheid groeid.*

*Ep. Fam. V.* certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. Recte itaque Cicero: *Homines nos esse meminimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortune proposita sit vita nostra: neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati simus conditione, vivamus: neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus: eventisque aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis novi cogitemus.*

Simile est quod habet Terentius in Phormione:

*Quod fors feret, feremus æquo animo  
- - - Istuc viri est officium.*



**ABUNDANTIA GRATIAM POSTULAT.**

*Si tibi sit coelo data dives copia rerum,  
Auctori veniat gratia digna Deo.*

**OVERVLOED EISCHT DANKBAARHEID.**

*Gelukkig die door de overvloed,  
Gebragt word tot het hoogste goed!*



## V I I I .

## S U U M C U I Q U E T R I B U E .

*Æquum , cerne , levi momento distat iniquo :  
Ad leges æqui dirigat omne manus .*

**R**ecte monet Syrach : *Pro justitia agonizare pro ani-* Cap. IV.  
*ma tua usque ad mortem , certa pro justitia , &*  
*Deus expugnabit pro te inimicos tuos .* Etenim qui ope-  
 ratur justitiam , ipse exaltabitur . *Justitia justii ,* inquit  
 Propheta , *super eum erit , & impietas impii super eum* Ezechiel. XVIII.  
*erit .* Est autem justitia , quæ nihil alienum vindicat , quæ  
 suum cuique tribuit , quæ negligit propriam utilitatem , ut  
 servet communem æquitatem . Hæc omnium domina at-  
 que regina virtutum . Nam sine prudentia plurimum va- I. De leg.  
 lebit justitia , sine justitia autem nihil valebit prudentia . *Ju-*  
*stitiæ ,* inquit Cicero , *ex qua una virtute viri boni no-*  
*minantur , maximus inest splendor ; neque tantum homin-*  
*solitario , atque in agro vitam degenti necessaria est ;*  
*sed eis etiam qui vendunt , emunt , conducunt , locant ,*  
*contrahendisque negotiis implicantur , ad rem gerendam :*  
*tantaque ejus vis est , ut nec illi , qui scelere & male-*  
*ficio pascuntur , possint sine aliqua justitiæ particula vi-*  
*vere .* Ex Indis , qui Pedalij vocabantur , nil fere aliud in Ex Stobæo Cælius lib. XXI.  
 sacrificiis à Diis immortalibus petebant , quam justitiam , ra-  
 ti ,



OMNIS FORMA CADUCA .  
Ad radios primi floret rosa splendida solis ;  
At moriens flectit sole cadente caput .



GEEN SCHOONHEID BESTENDIG .  
*De roos van't morgen licht bescheenen ,  
Is vaak ter avond zon verdweenen .*

*In lib. Cur  
Deus ho-  
mo.*

ti, se omnium facile virtutum compotes futuros, si vel hanc unam essent consecuti. Sed quoniam Justitia est unicuique suum tribuere, tribuendum igitur, ut habet Anselmus, *majori reverentiam, pari concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam.* Optime Græcus:

*Δίκαιος ἴσθ', ἵνα καὶ δίκαιων δῆ τύχης.*

*Sis æquus, æqua consequaris ut itidem.*

**VIS COELI SUFFICIT UNA.**  
*Sponte sua umbroso stat vitis palmitae: dextrae*  
*Non cultriciis eget, quod fovet aura Dei.*



**GODS KRACHT VERANDERD ALLES.**  
*De wilde wyngaard vruchten draagt,*  
*Als 't Gods genaden kracht behaagt.*

## I X.

## METUE SUBLIMIA.

*Stas in præcipiti, qui sceptro inniteris; illinc  
Ni circumgestes lumina mille rues.*

**J**Am dudum experientia comprobatum, quam verum sit  
illud quod habet Seneca in Hippolyto:

*Fraus sublimi regnat in aula.*

Sæpe enim videmus, nonnullos Principum favore & gratia  
eo usque provectos, ut sibi omnia tuta, nec quicquam in  
terris timendum arbitrentur: cum interea in summo dignita-  
tis fastigio fulgentes, arrogantes ac cæci, nec sibi satis ca-  
ventes, repente ad infima detrusi, suo ipsi exemplo discunt,  
nihil tam excelsum, nihil tam fortunatum, quod non merito  
sit suspectandum. Etenim ut Colossi, seu statuæ male libra-  
tæ sæpius subvertuntur, ita & nimius honos evertit multos:  
& ut in rerum natura, quæ spectatissime florent, celerrime  
marcescunt, ut rosæ, lilia, violæ, cum alia durent, ita in ho-  
minum vita, quæ florentissima sunt, citissime vertuntur in  
diversum.

*Quem dies vidit veniens superbum,  
Hunc dies vidit fugiens jacentem.*

Exemplum illustre præbuit Belifarius, quondam imperii

C

glo-

TRANSIT MOMENTO GLORIA MUNDI.  
Decerpti floris subito succusque colorque,  
Et modò quae fuerat, gratia tota fugit.



's WERELDS SCHOON VERWELKT HAAST.

*De bloem van wortel sap ontbloot,*

*Haast van zyn verf en glansch verschoot.*



gloria, principum amor, civium decus; subito tamen ac temporis momento ex deliciis ad egestatem, ex triumphis ad funera, ex victoriis ad clades, ex honoribus an infamiam traductus.

Optime igitur Artaxerxis gener, cum irato rege rejectus & condemnatus esset: *Quemadmodum, inquit, supputatorum digiti nunc infinitum numerum, nunc unum tantum possunt ponere; sic Regum amici nunc quidvis pollent, nunc nihil.*

18  
**OMNE NIMIUM VERTITUR IN VITIUM .**  
Cui tempestivus sit Phoebus, prospera crescit  
Arbor; at immodicis aestibus usta perit .



**TE GROOTEN HITTE VERZENGT .**

*Daar Febus glansch te hard op schynt ,*

*Ligt op zyn stam of steel verquynt .*

## X

## PLANIORA SUNT COMMODIORA.

*Ne nimium adscendas; non sunt sublimia tuta:*

*Quæ minus est præceps aptior illa via.*

**I**N re qualibet spectandum semper quid vires nostræ possunt. Stultum est tentare, quod efficere nequeas. *Omnis actio*, inquit Cicero, *vacare debet temeritate & negligentia*: temeritate, ne quicquam tibi assumes, quod facultatem & conditionem tuam excedit: negligentia, ne ab opere & labore desistas, sed assidue progrediendo, & commodiorem viam sequendo, ad metam tendas. Montem licet altissimum conscendes, si prudenter agendo, eam insistis viam, quæ minus præceps, minus quoque molesta & periculosa sit: cum contra ardua, ignota atque aspera petendo, non tantum nihil proficis, sed & sæpe magnis passibus in præcipitium ruis. Recte igitur, quisquis est, dixit: *Quanto majus sit, quod obversatur periculum, tanto major debet esse cautela*. Notum illud quoque Comici.

*Ἀγαθὸν μέγιστον ἢ Φρόνησις ἔς' αἰεί.*

*Prudentia bonum semper est quam maximum.*



**NUCLEUM ESSE QUI VULT, NUCEM FRANGAT.**

*Nil pulcri patet ignavis. Labor omnia praestat:  
Non apis absque ullo mella labore legit.*

**GEEN ZOET ZONDER ARBEID.**

*Door noefte vlyt word't zoet verkregen.  
Dat ons toediend Gods milde zegen.*

Augustinus ait: *Ubicunque fuerit prudentia, frustrantur universa contraria: ubi autem prudentia negligitur, omnia contraria dominantur.*





**NON MORTEM FORMIDAT AMOR.**

Ne Borean, hyememque, et saevas sentiat undas,  
Qui calet in cupido pectore, praestat amor.

**LIEFDE KEND GEEN GEVAAR.**

*Voor zee, of nacht, of toorngevaart,  
De liefde nooit haar krachten spaart.*

## X I.

## LABORE ET COELI FAVORE.

*Et Phæbo & manibus castricibus exit in altum  
Surculus; alterutro deficiente perit.*

**V**erissime Græcus:

*Τῆς ἐπιμελείας δούλα πάντα γίγνεται.  
Diligentiæ cuncta parere solent.*

Hinc illud Maronis:

*Labor improbus omnia vincit.*

Nihil enim tam arduum, nihil tam excelsum, quod non labore & industria paretur; juxta vulgatum illud:

*Laboribus divi omnia vendunt.*

Cum contra:

- - - Nil sine magno  
*Vita labore dedit mortalibus.*

*Horat. 1.  
Serm. 9.*

Nec tamen quicquam efficies nisi favore divino, & frustra laborabis, nisi Deus opus benedicat. Quid enim si quis indefessus agrum colendo, sibi fructus promittat haud pœnitendos, quid si surculum plantando eumque assidue rigando, arborem



NON OMNIBUS AEQUA SORS VENIT.  
 Non eadem fati vis summis instat et imis:  
 Saepè quod excelsum est misla sagitta ferit.

ALLES HEEFT NIET 'T ZELVE LOT.  
 De boog schiet meest den pyl op 't wit,  
 Dat heuvelhoog verheeren zit.

expectet procerum, nisi numinis supremi clementia, celestis inquam gratia, ad hoc ipsum quod agit concurrat. Hinc illæ Platonice locutiones: *Si Deus concesserit; Deo favente; Deo volente.* Huc sane respexit Paulus, cum ait: *Non ille qui plantat est aliquid, neque qui rigat est aliquid; sed qui incrementum dat Deus.* Concluendum ergo nihil a Deo concedi absque labore: & contra nihil labore effici absque divino favore.



QUANTUM QUISQUE TIMET, TANTUM FUGIT.

Pernices addit pedibus timor anxius alas.  
Et facit ut cursus sit levis usque labor.

VREES DOED VLIEDEN.

Wie vlucht niet voor een Gods geweld.  
Wie word niet voor zyn kracht ontfeld?



## X I I.

## FOVENTE COELO PROVENIUNT OMNIA.

*Ridet ager, plenisque seges turgescit aristas,  
Descendit cæli dum favor irriguus.*

**Q**uicquid in terris utile ac beatum a Dei pendet clementia.

- - - - - *Favor omnis ab alto  
Defluit in terras.*

Consentit Jacobus, cum ait: *Omnis donatio bona & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Cap. 1. vers. 17.

*Quo nihil esse potest nec fingi majus, ab omni  
Corporea stans mole procul, tamen omnia fingens  
Corpora, vel prorsus mutari nescia, vel quæ  
Temporis anfractu longo labefacta fatiscunt:  
Principium sine principio, fons unde bonorum  
Effluit omne genus, naturæ rector ac auctor,  
Omnia comprehendens; at non comprehensus ab ullo.  
Nusquam habitans & ubique habitans, immobilis & dans  
Assidue motum cunctis; a quo omnia, & in quem  
Omnia, per quem etiam sunt omnia, semper eadem*

Con-

23  
IUSTITIA CERTISSIMUM HUMANARUM RERUM PRAESIDIUM.  
Praesidium, columen, certissimaque ancora rerum,  
Fas est: nec mundum jura perire sinunt.



'T RECHT DE GROND ZUIL VAN ALLES.

*'t Recht doet de wereld staande blyven;  
Doet Vorsten heerschappy beklyven.*

*Conditione manens, nullo mutabilis ævo:  
Quo sine nil pareret tellus, nil gigneret æquor.*

Omnia igitur quibus fruimur bona tanquam Dei beneficia  
consideranda sunt. Hinc tritum illud: *A Jove principium.*

Nam ut ait Poëta:

- - - - - *Nihil est mortalibus unquam*

*Utilius quam cœlestem sancteque pieque*

*Orando sibi querere opem & agnoscere Divos.*



**RELIGIO PUBLICAE SALUTIS PRAESIDIUM.**

*Gens felix, justos coelo quae solvit honores;  
Nititur hoc fulero publica tuta salus.*

**GODS DIENST DE GROND ZUIL VAN 'T LAND.**

*Nooit zag men 't land in puin gedoken,  
Daar de altaar vuuren stadig smooken.*

## XIII.

## FERTILIOR IMBRE RIGATUS AGER.

*Irrorat terras pluvio dum Jupiter imbre,  
Nil non in terris fertilitate viget.*

**D**Ocemur isthoc emblemate, hominem, quanquam per se ineptus sit ad bonum, tamen, cum irrigetur rore cœlesti, uberrimos edere fructus. Hinc illud Apostoli: *Omnia possum per eum qui me gratia confortat*: Per gratiam autem intelligimus primo Dei favorem ac benevolentiam, ex qua benefacit. Non quod affectus aliquis in Deo locum habeat, vel affectus analogum, sed ex effectis Deo improprie tribuatur: quo sensu gratia & debitum opponuntur. Deinde significat gratiæ effectum in nobis, donum Euangelicum, præsertim salutare. Denique ejus abundantiam intensivam & extensivam. Omnia conjuncta habet Lucas: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, quibus nos* Cap. 1.  
vers. 78. *visitavit oriens ex alto.* Vox autem sumpta latissime, ut omnia comprehendat, quæ diximus, & Dei amorem & dona Euangelica, pro ratione dispensationis divinæ sub N. nunc Testamento, omne illud complectitur, quod hominem aptum ac idoneum reddit iis producendis fructibus, quibus Deo gratus & acceptus, tandem aliquando consequatur id  
D ipsum,





**AEQUALE JUS, AEQUALIS POTESTAS.**

*Aequo jure valet quaevis aequata potestas:*

*Hocque minus juris, quo minor entis, erit.*

**GELYKE MAGT, GELYK RECHT.**

*Gelyk van magt, gelyk van deegen,*

*Heeft vaak 't gelyke recht verkreegen.*

ipsum, quod Dei bonitas ac clementia imprimis intendit. Neque enim nos ipsi quicquam valemus, sed omne quod in nobis est bonum à Deo proficiscitur: Deo inquam, cui proprium est misereri, & qui ex se ipso miserandi sumit materiam.



**NON SOLA FIT CASSIDE MILES .**  
 Imponas capiti leporino caslida torvam,  
 Frustra eris; indigni militis ora vides .

**DE HELM MAAKT GEEN ZOLDAAT .**  
*Men zet den haas een stormhoed op ,*  
*Hy is en blyft een haazekop .*

## X I V.


## ABUNDANTIA GRATIAM POSTULAT.

*Si tibi sit cælo data dives copia rerum,  
Auctori veniat gratia digna Deo.*

**O**ptima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficio-Chrysoſt.  
rum, & perpetua confessio gratiarum. *Hunc maxi-*in Matth.  
*me cultum*, inquit Galenus, *à nobis Deus exigit, non*  
*ut hecatombas taurorum illi sacrificemus, sed ut omnibus*  
*notum faciamus, quanta sit ejus potentia, sapientia & boni-*  
*tas.* Danti enim nihil gratius ab accipiente rependi potest,  
quam si gratum habuerit, quod gratis accepit: nam spiritui  
gratiæ contumeliam facit, qui beneficium dantis grata men-  
te non suscipit. Hinc Epictetus: *Si quid mente valemus,*  
*quid nobis agendum, nisi ut Deum assidue celebremus,*  
*gratiarum actiones canamus, dum terram fodimus aut ver-*  
*timus; seu laboramus, seu requiescimus! Quas autem?*  
*Magnus Deus, qui hæc instrumenta dedit: Magnus, qui*  
*manus ipsas largitus est nobis: Magnus vero, qui tanta*  
*insuper nobis beneficia contulit.* Pertinet huc illud Plauti: Pœnulo  
Act. V. 4.

*Diis est æquum gratias nos agere sempiternas,  
Cum nostram pietatem approbant decorantque Di im-*  
*mortales.*

Pulcra est illa Ambrosii sententia de fratre Satyro: *Nullum* In Orat.



**PECUNIA SANGUIS ET ANIMA MORTALIUM.**

*Quidquid habet mundus, regina Pecunia vincit,  
Fulmineoque ictu fortius una ferit.*

**'T GELD VERMAG ALLES.**


*'t Geld houdt den krygsknecht in zyn plichten,  
Kan meer dan't dondertuig uit richten.*



*referenda gratia majus est officium. Quod si homini non referre, simile homicidii judicatum est: quantum crimen non referre Deo!*

Exemplum præbent vel ipsæ aviculæ, quæ in Dei celebratione sunt assiduæ. Epictetus: *Si luscinia essem, facerem quod luscinia: cum autem homo rationalis sim, quid faciam? Laudabo Deum, nec cessabo unquam.*

Laudantur igitur Agefilaus, qui, quoties fortuna utebatur prospera, non homines præ se contemnebat, sed & Diis gratias habebat, teste Xenophonte: Socrates, qui pro frugibus Deo sacrificandum censuit: Populus Romanus, qui supplicationes Diis decrevit, quoties vel insigni aliqua calamitate liberatus, vel victoria insigni potitus esset.



NON MINOR EST VIRTUS QUAM QUAERERE PARTA TUERI.

*Nil juvat ingenti congesta pecunia acervo.*

*Ni te servandi provida cura tenet.*

**'T GELD EISCHT VOORZICHTIGHEID.**

*Die groote schatten over spaart.*

*Zie wel hoe hy zyn hert bewaart.*

## XV.

## OMNIS FORMA CADUCA.

*Ad radios primi floret rosa splendida solis:  
Ad moriens flectit sole cadente caput.*

**I**N rerum natura quæ florentissima sunt, citissime vertuntur in diversum.

*Forma bonum fragile est: quantumque accedit ad annos,* Ovid. de  
Art. II.

*Fit minor: & spatio carpitur ipsa suo.*

*Nec semper viola, nec semper lilia florent:*

*Et riget amissa spina relicta rosa.*

*Et tibi jam venient cani, formose, capilli:*

*Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.*

In eundem fere sensum cecinit Seneca in Hercule Oeteo.

*Ut alta sylvas forma vernantes alit,*

*Quas nemore nudo primus investit tepor:*

*At cum solutos extulit Boreas Notos,*

*Et sæva totas bruma decussit comas.*

*Deforme foliis aspicias truncis nemus:*

*Sic nostra longum forma percurrens iter,*

*Deperdit aliquid semper, & fulget minus:*

*Malisque minus est quicquid in nobis fuit*

*Olim petatum, cecidit.*



**ASTU DOMATUR VIOLENTIA .**  
 Quid ruis, immensis, Leo, fretus viribus: ecce,  
 Frustra es: plus astus ingeniumque valent .

**MEER DOOR KONST ALS KRACHT .**  
*Door konst word leeuwen kracht getemt ;*  
*Door't goud vaak deugd en moed gestremt .*

*Eclog. IV.* Simile quid habet Nemesianus:

*Non hoc semper eris, perdunt & gramina flores,  
Perdit spina rosas, nec semper lilia cadent.  
Nec longum tenet uva comas, nec populus umbras;  
Donum forma brevis est, nec sibi commodat omnis.*

Bion olim dicebat, formam esse bonum alienum: sentiens extra hominem esse, quod sibi nec dare potest, nec tueri datum.



VIRTUTE SUPERATUR DOLUS.

30

Eludit virtus artes heroa dolosas:

Strenuaque immotum dextra revellit opus.



STERKTE OVERWIND LIST.

*Geen list kan helden kracht besluiten:*

*Geen Poort of wal ooit kloekheid smiten.*

## X V I

## COELI VIS SUFFICIT UNA.

*Sponte sua umbroso stat vitis palmite: dextræ  
Non cultricis eget, quod fovet aura Dei.*

**S**olus Deus vere fortis ac potens, qui ut nutu suo nos quondam creavit, ita quoque mortuos regeneravit. *Volens*, inquit Apostolus, *nos progenuit sermone veritatis, ut effemus primitiæ quædam eorum quæ creavit.* Hunc sane successum habuere molimina ejus, qui homicida est ab initio, ut quotquot existunt homines, antequam regenerentur, natura sua mortui sint in lapsibus & peccatis. Per regenerationem autem nova illis vita inditur: resultans ex gratiosa unione cum Deo ejusque spiritu. Cujus tanta quidem vis est, ut subito hominem mutando, ex feroci mansuetum, ex superbo humilem, ex immorigero obedientem reddat. Illustre ejus quod diximus exemplum habemus in Apostolo gentium Paulo, qui dum minas ac cædem spiraret adversus Christicolas, repente luce de cælo circumfusus, ac dilapsus in terram, ejus, quem igne & ferro persequebatur, servitio se mancipavit. Opus sane longe præstantissimum, & tantum quidem, ut prima fronte vel ipso Hæbræorum magistro Nicodemo videretur fieri non posse. Cyprianus de Ep. II. seipso: *Ergo cum in tenebris atque nocte cæca jacerem,*  
cum-

**NIL NON DOMABILE .**

Stet sonipes licet ore ferox; hunc fraena coëreen ,  
 Currere conantem laxea pila, vetat .


**ALLES IS TE TEMMEN .**

*Of schoon het paard stamppeid en springt,  
 De zuil en toom zyn kracht bedwingt .*

*cumque in salo jaētantis sæculi nutabundus ac dubius vesti-  
giis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis  
ac lucis alienus; difficile prorsus pro illis tunc moribus  
opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia polli-  
cebatur, ut quis denuo renasci posset, utque in novam vi-  
tam animatus, quod prius fuerat exueret. Qui possibilis,  
ajebam, est tanta conversio, ut repente ac perniciousiter exua-  
tur, quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit,  
vel usurpatum diu senio vetustatis induruit.*

XVII. TRAN-





**FORTITUDO LUCIS INDIGA.**

*Nil tibi strenuitas temeraria coecaque proffit;  
At quae consilii lumine clara videt.*

**STERKTE HEEFT LICHT NODIG.**

*De sterkte van den grootsten held,  
Ging staag met wysheids licht verzeld.*



## X V I I.

## TRANSIT MOMENTO GLORIA MUNDI.

*Decerpti floris subito succusque colorque  
Et modo quæ fuerat, gratia tota fugit.*

**M**undi gloria & quicquid in eo donum breve, & res fugax est. *Mundus*, inquit Joannes, *transit* & *concupiscentia ejus*. Ludos facit fortuna & subito nobis mortalibus honores, divitias, gratiam, atque formam eripit: quorum alia inter manus diripientium scissa sunt: alia infida societate divisa: alia magno detrimento eorum, in quos devenerant, deprehensa. Hinc illud Augustini: *O amatores mundi, cujus rei gratia militatis: major enim non poterit esse spes vestra, quam ut amici mundi sitis. Et quid quæso ibi nisi fragile, plenum periculis, quibus pervenitur ad majus periculum? Pereant hæc omnia, & dimittamus hæc vana & inania; conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent: vita hæc misera est, mors subito obrepit, & post hæc negligentia pæna supplicio luenda est.* Etenim nihil in hoc mundo stabile, nihil firmum, sed omnia quasi unius noctis fungi, uti subito fiunt, ita quoque subito pereunt. Nihil in eo quod vel fructum adferat laboranti, vel fulcimentum innitenti. Gloria ejus quam fallax, quam brevis, quam sæpe

E etiam



**NON VI SED TUTIUS ARTE.**

*Non semper validae praestant munimina vires;  
Saepe ingens sola pellitur arte malum.*

**LIST VEILIGD VOOR GEWELD.**

*Verstand kan list zoo wel besieken.  
Dat zy het grootst' geweld kan breeken.*

etiam turpis! ita quidem, ut non injuria Tragicus exclamet:  
*Gloria mundi nihil aliud est, quam aurium inflatio magna.*  
 Quid enim fortis gloriatur, quem corporis ægritudo efficit  
 infirmum? Quid dives gloriatur, cujus spem fur aut Tyranus  
 arripit? Quid nobilitas gloriatur affectata, nonnunquam  
 indignis & miserabilioribus serviens. Hæc omnia si quis se-  
 cum consideret, non errasse fatebitur, qui rerum terrestrium  
 fragilitatem ut ostenderent, mundum & quicquid in eo com-  
 pararunt bullæ, fumo, vento, gramini, flosculis decerptis,  
 tanquam subito pereuntibus? Breviter autem, sed copiose  
 dixit Salomon: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*



**QUOD GEMINUM EST PLUS USQUE VALET.**

*Vnitae vires, et consociata potestas*

*Nil sibi non tutum reddit, et omne domat.*

**DOBBELE KRACHT VERMAG VEEL.**

*Daar dobbele magt bleef zaam verbonden.*

*Wiert zelden ramp of leed gevonden.*

## X V I I I.

## OMNE NIMIUM VERTITUR IN VITIUM.

*Cui tempestivus sit Phæbus prospera crescit  
Arbor; at immodicis æstibus usta perit.*

**R**ES natura sua optimas, nisi modus adsit, malas fieri, non solum ratio, sed & usus docet: *Perniciosissimum in omni quidem vita*, ait Plinius, *quod nimium.* Lib. II. Nam ut modicus calor arbores fovet, nimius autem fervor easdem enecat, ita quoque modicus rerum usus animos conservat, nimius corrumpit. Hinc illud Ciceronis primo de Officiis: *Mediocritas ad omnem usum, cultumque vitæ referenda est: In omnibus rebus mediocritas est optima.* Et in oratione ad Brutum: *Nihil reperiri potest tam eximium, aut tam expetendum, quam mediocritas.* Phocylides quoque dixit:

Πάντων μέτρον ἄριστον.

*Modus in re qualibet optimus.*

Et Alpheus in Epigrammate:

Τὸ μὴδὲν γὰρ ἄγαν μὲ τέρει.

*Hoc, nequid nimium, nimis mihi placet.*

Etenim nihil est rerum omnium, in quo non peccari queat nimietate, præter amorem Dei, quod aliis verbis fatetur &





VNUMQUODQUE SUIS ARMIS MUNITUM.  
 Nil movet intrepidum laevi canis impetus aprum,  
 Quem tutum à morſu ferrea ſeta facit.

*ELK KEND ZYN KRACHT.*  
*De hond die't ſteekel zwyn aanbaſt*  
*Word ligt door't ſcherp gediert verrast.*

Aristoteles; pro Deo supponens sapientiam. Huc pertinet quoque quod dixit Horatius:

*Virtus est medium vitiorum utrinque redactum.*

His igitur in rebus, quæ tractantur in vita, modum quendam & ordinem adhibentes, honestatem & decus conservabimus.



**ALIUD ALII FULCRO EST.**

*Fidus is est demum, qui nondum rebus amici,  
Collapsis, vires subgerit ipse suas.*

**D'EENE KRACHT HOUD D'ANDERE STAANDE.**

*De vuurbaak half ter neer geslagen.  
Voeld door de wind haar zwaarte schragen.*

## X I X.

NUCLEUM ESSE QUI VULT, NUCEM FRANGAT.

*Nil pulcri patet ignavis. Labor omnia præstat:*

*Non apis absque ullo mella labore legit.*

**Q**ui commodum appetit, ne fugiat laborem. Qui quærit voluptatem, prius experiatur sudorem; sine quo non paratur vera voluptas. *Generosos animos*, inquit Seneca, *labor nutrit; laborem si recuses, parum esse potes.* Non est viri timere sudorem. Ipsi apes non sine labore mella legunt; ita tu quoque non sine labore quicquam capies jucundi.

*Non quisquam fruitur veris odoribus,*

*Si fronti caveat, si timeat rubos*

*Armat spina rosas.*

*Claudian.  
in nupt.  
Honor.*


Ut enim, quæ præclara sunt, vix multo cultu proveniunt: contra cæpe, allium, & quædam hujusmodi vilia etiam reposita aut suspensa proferunt sese: ita quæ sunt egregia, non nisi multo contingunt labore: quæ mala, passim obvia sunt.

*Non etenim fieri egregium ac memorabile quicquam*

*Absque labore potest.*

Hinc illud vulgatum:

*Qui è nuce nucleum esse vult, nucem frangat.*



**CONTENTIO AUGET VIRES.**

*Exacuit validas acris contentio vires:*

*Quodque ruit praeceps, fortius usque ruit.*

**STRYD VERGROOT KRACHT.**

*Vier winden tegens een gedreeven,*

*De grootfte kracht en woede geeven.*



Quod quidem dictum e Plauto desumptum divus Hieronymus alicubi usurpavit de investigatione sensus literarum mystici: *Qui quærit, inquit, Vanissimi pabulum in arcanis literis, scrutetur sub allegoriæ involucro conditum mysterium.* Nux enim foris tum dura est, tum amara: intus tamen condit cibum suavissimum. Huc referendum illud Homericum figmentum de Moly herba, quam ait radicem quidem habere nigram, sed florem lacteum. Hanc ita describit Odyss. lib. X.


Ῥίζη μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι καὶ ἔικλον ἄνθος,  
 Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοὶ χαλεπὸν δέ τ' ὄρουσαι  
 Ἄνδράσι γε θνητοῖσι θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Id est:

*Atra quidem radix suberat, sed lacteolus flos:  
 Moly vocant superi: mortalibus ardua res est  
 Evulsisse viris; cælestes omnia possunt.*

Accommodari autem hæc possunt ad omnem disciplinam, cujus initium acerbum, progressus facilis, finis jucundus.

38  
**AMBIGUIS ALIS MOBILIS HORA VOLAT.**  
*Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis:  
Et fugiunt fraeno non remorante dies.*



**ALLES VERGAAT DOOR DE TYD.**  
*De tyd geveugeld, 't al vernield,  
Wat's hemels geest op de aard' bezield.*

## X X.

## NON MORTEM FORMIDAT AMOR.

*Ne Borean, hyememque & sevas sentiat undas,*

*Qui calet in cupido pectore praestat amor.*

**N**ihil est amantibus arduum, nullus labor difficilis; amoris igne omnia vincuntur. Hinc illud Virgilii:

*Omnia vincit amor.*

Quæ quidem sententia usque adeo probata, atque omnium consensu recepta est, ut nullus sit tam literarum ignarus, qui eam non memoria teneat, atque sæpissime prædicet. Etenim amor neque laborem sentit, neque amaritudinem, sed omnia sibi dulcia, nomen difficultatis erubescens. *Nullo modo*, inquit Augustinus, *onerosi sunt labores amantium, sed & ipsi delectant. Nam in eo quod amatur; aut non laboratur, aut labor amatur.* Quod enim desiderat amor, semper se inventurum putat. Ignorat siquidem iudicium & ratione multoties caret: nescit modum, nec aliud cogitare potest, quam quod diligit. Non accipit de impossibilitate solatium, nec ex difficultate remedium: nec consilio temperatur, nec tempore frenatur, nec ratione subjicitur. Seneca Tragicus:

*Non regi curat, patiturve frenos:*

*NON Haud timet mortem, cupit ire in ipsos*

*Obvius enses.*

Pro-

Propertius:

*Verus amor nullum novit habere modum.*

Recte autem Pausanias amorem divisit in *vulgarem & cœlestem*. Cœlesti vero amore intelligimus affectum spiritualem, quo animus fertur in Deum, tanquam in summum bonum, sibi que ante omnia diligendum, non tantum ad regulam aliquam aut mensuram, ut res alias, sed sine modo. De hoc

In Cant.  
Serm. VII.

Serm.

LXXXIII.

In Joan.  
II. 9.

Bernardus: *Excellit in naturæ donis affectio hæc amoris præsertim cum ad suum recurrit principium.* Et alibi: *Magna res est amor, si suæ reddatur origini, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat, unde jugiter fluat.* Principium autem amoris est ipse Deus: *Non enim dileximus Deum, sed ille dilexit nos, & misit filium suum expiationem pro peccatis nostris.*

## X X I.

## NON OMNIBUS ÆQUA SORS VENIT.

*Non eadem fati vis summis instat & imis:*

*Sæpe quod excelsum est, missa sagitta ferit.*

**F**elices qui videntur sapius infelicissimi. Excelsa enim uti conspicua, ita ad omnes quoque fortunæ casus patent. Hinc Horatius ad Licinium, ut alta nimis periculosa esse doceat: Lib. II.  
Od. 19.

*Sæpius ventis agitur ingens  
Pinus; & celsæ graviore casu  
Decidunt turres, feriuntque summos  
Fulmina montes.*

Stulti profecti qui securi se putant in dignitatis fastigio. Nam ut habet Cicero: *Superioribus invidetur sæpe* II. De  
Orat. *vehementer, & eo magis quidem si intolerantius se jactant, & æquabilitatem communis juris præstantia dignitatis, aut fortunæ suæ transeunt.* Hinc quidam interrogatus, quomodo invidos non haberet? respondit: *Si nihil,* Val. Max.  
l. IV. *inquit, ex magnis rebus habueris: aut nihil feliciter gesseris; nam sola miseria caret invidia.* Huc respexit Seneca, cum dixit: *Invidiam effugies, si te non ingesse-* Ep. XVII.



*ris oculis : si bona tua non jactaveris , si sciveris in  
sinu gaudere. Ovidius quoque :*

*De rem  
amoris.*

*Summa petit livor , perflant altissima venti.*

X X I I  
 Q U A N T U M Q U I S Q U E T I M E T , T A N T U M  
 F U G I T .

*Pernices addit pedibus timor anxius alas,  
 Et facit ut cursus sit levis usque labor.*

**T**Utissima res est nihil timere præter Deum. Timidum autem non facit animum nisi reprehensibilis vitæ conscientia.

Nam ut recte Juvenalis:

Satyr.  
XIII

- - - conscia facti  
*Mens habet attonitos, & surdo verberare cædit  
 Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

Et Naso:

Lib. V.  
Epi.

*Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra  
 Pectora pro facto spemque metumque suo.*

Hinc Cicero: *Magna vis est conscientie in utramque* <sup>Pro Mi-</sup>  
*partem; ut neque timeant, qui nihil commiserint; &* <sup>lone.</sup>  
*pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccave-*  
*rint. Licet enim audacissimus sit quisquam, vel timidissi-*  
*imum facit ipsa conscientia. Bias igitur interrogatus, quæ*  
*res in vita metu careret? non absurde respondit: Bona*

*conscientia.* Quamobrem, si nolis timere, si nolis esse tristis, bene vive. Secura mens tristitiam leviter sustinet. Bona vita gaudium semper habet: conscientia autem rei semper in pœna est. Nunquam securus est animus reus: mens enim mala conscientia propriis agitur stimulis. Cicero pro Cluentio: *Si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita conscientia nobis fuerit; sine ullo metu summa cum honestate vivemus.*



## X X I I I .

JUSTITIA CERTISSIMUM HUMANARUM  
RERUM PRÆSIDIUM.

*Præsidium, columen, certissima ancora rerum,  
Fas est, nec mundum jura perire sinunt.*

**S**olon percontatus, quid maxime ad salutem Reipublicæ prodesset? respondit: *Si boni præmiis invitantur: mali autem pœnis coërcentur.* Simile quid habet Cicero: *Nec domus nec Respublica stare potest, si in ea nec recte factis præmia extent ulla, nec supplicia peccatis.* Etenim peccandi impunitas maxima est illecebra: & quos ipsa natura retinere in officio non potest, ii magnitudine pœnæ maleficio submoveri debent.

III. De  
nat. Deor.

Notum illud Horatii:

Lib. I.  
Sat. 3.

- - - adsit

*Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas.*

Optime fane Cyprianus: *Justitia in Republica est pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimen-*

In XII.  
abus.

*mentum gentis , cura languorum , gaudium hominum ,  
temperies aëris , serenitas maris , terræ fecunditas , so-  
latium pauperum , hæreditas filiorum , spes futura bea-  
titudinis.*



## X X I V.

## RELIGIO PUBLICÆ SALUTIS PRÆSIDIUM.

*Gens felix, justos cælo quæ solvit honores,  
Nititur hoc fulcro publica tuta salus.*

**Q**uæritur inter politicos, an aliqua debeat in Republica esse Religio? seu an Religio & cultus Dei tantæ sit necessitatis, ut absque ea societas politica consistere nequeat? Communis omnium populorum consensus in affirmationem conspiravit, ita quidem ut nulla tam barbara natio reperiat, quæ non Deum aliquem ac Religionem agnoscat. Sed reperti tamen fuerunt Athei, qui omnem hanc de Religione materiam tantum pro commento humano habuerunt in eum finem a prudentioribus excogitato, ut rudem multitudinem metu numinis & pœnarum infernalium in officio continerent. Quam imprimis sententiam propugnat Lucretius, & hodie omnes illi sectantur, quos Machiavellistas vocant.

Hæc periculosa opinio imprimis ex animo hominum extirpanda: ea enim semel admissa perit omnis societas humana, ac horrendis sceleribus janua aperitur. Quapropter etiam Ethnici Atheos ad nullum Reipublicæ munus admittebant.

Necessitas autem Religionis ita demonstratur: Ubi nulla Religio, ibi nulla fides: ubi nulla fides, ibi nulla fœdera & pacta: ubi nulla fœdera & pacta, ibi nulla Respublica. Pro-  
batur,

batur, quia omnia fœdera & pacta confirmantur juramento. Juramentum autem est religiosa invocatio Dei, tanquam vindicis perjurii. Si ergo nulla esset Religio, nullum etiam esset perjurium, ideoque liceret impune fallere. Secunda ratio hæc est. Quia sæpe in Republica tales accidunt casus, qui non nisi Religione expediri possunt. Exempli gratia: Cum contra hostem longe potentior est pugnandum, sic ut nulla spes in humanis viribus supersit, tum a sola Religione petendum est auxilium, ac militi persuadendum, non in multitudine exercitus, sed de cœlo victoriam esse. Concludimus ergo Religionem in Republica absolute esse necessariam, ac publicæ salutis maximum præsidium.

## XXV.

## ÆQUALE JUS, ÆQUALE POTESTAS.

*Æquo jure valet quævis æquata potestas:*

*Hocque minus juris, quo minor ensis erit.*

**M**Eminit Plutarchus, ut quondam legi, senem Antiochum irrifisse hominem, qui sibi urbes alienas oppugnanti commentarium de justitia adferebat. Opinabatur enim, juris sive justii nihil præter inane nomen existere, & id esse æquius quod validius; sive ut Tacitus eandem sententiam expressit; *Id esse jus, quod ei qui plus potest, utile est.* Idem sensit Carneades, & probare conatur eo argumento, quod omnes homines natura duce ferantur ad suas utilitates, atque proinde sibi pro moribus varia sanxiffe jura, quæ sibi utilia arbitrarentur, sæpe etiam & mutasse: unde sequeretur nullum dari jus naturale, quod & statuit Poëta:

*Nec natura potest justo secernere iniquum.*

Quamquam vero hoc minime concedendum, siquidem homini propria est appetitus societatis, id est communitatis non qualiscunque sed tranquillæ, atque proinde quædam propensio ad ea sine quibus illa societas minime conservari potest; tamen quoniam nonnulli usque adeo indomitis cupiditatibus agitantur, ut interim quid ad communem societatem conducatur, minime attendant, alii alios opprimentes, ac denudan-

G

tes,

tes, cum potentiores quævis impune agunt, fit sæpe, ut aliquis semetipsum ac sua conservare non possit, nisi viribus contra inyaforem satis sit instructus, atque propterea, tametsi optimo jure nitatur, jus illud suum omni careat effectu, si viribus destitutum sit. Ubi autem vires æquales sint, quoniam potens æque potentem tuto aggredi non potest, ibi aut nulla injuria, aut si subinde oriat, facile repellitur. Verissime igitur dixeris, concordiam optime ali, atque quod justum est exerceri, si partes intèr se sint æquales. Quanto enim quis potentior, tanto sæpe & promptior ad lædendum, quod si fiat,

Ovid. V.  
Trif. 8.

- - - - - *Cedit viribus æquum,*  
*Victaque pugnaci jura sub ense jacent.*

## X X V I .

## NON SOLA FIT CASSIDE MILES.

*Imponas capiti leporino casside torvam,  
Frustra eris, indigni militis ora vides.*

**F**RONTI nulla fides: nam plerique non tam esse boni ac fortes quam videri volunt. Hinc illud Christi: *No-<sup>Joan. VII. 24.</sup>lite judicare secundum faciem, sed justo judicio judicate.* Non enim bonus atque fortis, qui externa specie bonitatem & fortitudinem præ se ferat, sed qui reipsa bonus ac fortis est. Bonus autem dicitur, qui æquitatem & justitiam amat; fortis, cui animus crescit in ipsa rerum difficultate: quique ad mortem ita paratus est; ut meminerit maximos luctus morte finire: parvos multa habere intervalla requietis, mediocrium nos esse Dominos, ut si tolerabiles sint, feramus: sin minus, æquo animo è vita, tanquam è theatro, excamus.

- - - - *Fortissimus ille est,*  
*Qui promptus metuenda pati: si cominus instent,*  
*Et differre potest.* - - -

*Lucan.  
VII. civil.*

Videre licet homines nescio quid magni voce, vultu, habitu promittentes, ubi vero ad rem veneris nullius pretii. In periculis timidi, sic ubi metus abest inflati, pelle leones, & corde lepores. Eiusdem generis sunt hypocritæ, qui



In Ps.  
XXIII.

dum virtutem simulant, virtutem non exhibent; Quoniam, inquit Augustinus, *totum fructum in laude hominum ponunt.* De his Bernardus: *Hypocritæ volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine defectu, bene vestiti sine sollicitudine: delicatæ pacis possessores sine labore, aliis adulantes, aliis detrahentes: mordaces ut canes, dolosi ut vulpes: superbi ut leones; intrinsecus autem lupi rapaces: mellis dulcedinem, id est, inanis gloriæ & latentis lasciviæ, ut ursi quærentes. Volunt esse sine auctoritate iudices, sine visu testes: postremo falsi accusatores, & omni veritate carentes.* Sed notandum quod olim dixit Dominus ad Samuelem: *Homo spectat quod est ob oculos; Deus autem spectat quod est in animo.*

## X X V I I.

## PECUNIA SANGUIS ET ANIMA MORTALIUM.

*Quicquid habet mundus, regina pecunia vincit.*

*Fulmineoque ictu fortius una ferit.*

**R**EX Israël Ecclesiastes, cujus tanta autoritas, ut se facile contra omnes possit defendere, tribus verbis maximam veritatem complexus, *Pecuniæ*, inquit, *obediunt* Eccles. x. *omnia*. Etenim pecuniam, quæ genus & formam donare potest, reginam facimus omnes. Huic servimus omnes; huic palmam tribuimus omnes; huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in ratione mortalium sola utramque paginam facit. Nec mirum. Nam quicquid eximium, quicquid splendidum, quicquid venustum, quicquid denique gloriosum hominibus contingit, id a folius pecuniæ beneficio proficiscitur. Unde & Ovidius:

*Carmina laudantur, sed munera magna petuntur:*

*Dum modo sit dives barbarus ille placet.*

*Aurea sunt vere nunc sæcula: plurimus auro*

*Venit bonos, auro conciliatur amor.*

Auro servitia, auro fasces, auro miles in foro, exercitus in agro, auro denique omnia comparantur.

*Virtus, forma, decus, divina humanaque pulcris*

*Divitiis parent; quas qui construxerit, ille*

*Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam & Rex,  
Et quicquid volet. - - -*

Hinc illud Hesiodi:

*Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.  
Pecunia anima atque vis est mortalium.*

Qua ratione permotus Bellerophon apud Euripidem dicit:

*Sine me vocari pessimum, ut dives vocer.  
Nemo an bonus; an dives omnes quærimus.  
Non quare, & unde: quid habeas tantum rogant.  
Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit  
Quid habere nobis turpe sit, quæris? nihil.  
Aut dives opto vivere, aut pauper mori.  
Bene moritur, quisquis moritur dum lucrum facit.  
Pecuniæ ingens generis humani bonum:  
Cui non voluptas matris, aut blandæ potest  
Par esse prolis, non sacer meritis parens.  
Tam dulce, si quid venerit; in vultu micat.  
Merito illa mores cælitum atque hominum movet.*

*Pro domo  
sua.*

Recte tamen Cicero: *Caduca semper & mobilia hæc esse  
dixi, non virtutis atque ingenii, sed fortunæ ac tempo-  
rum munera: quorum ego non tam facultatem unquam &  
copiam expetendam putavi, quam in utendo rationem, &  
in carendo patientiam.*

## X X V I I I.

NON MINOR EST VIRTUS QUAM QUÆRERE  
PARTA TUERI.

*Nil juvat ingenti congesta pecunia acervo  
Ni te servandi provida cura tenet.*

**P**arsimonia magnum vegetigal. Unde Mecænas ad Augustum ait: *Divitias magnas collegi, non tam multa accipiendo, quam non multos sumptus faciendo.* Pertinet huc Christi præceptum de colligendis fragmentis; & quod ait Cicero: *Parsimonia res optima & in privatis familiis & in Republica.* Justinus dixit: *Genitrix virtutum est* Lib. xx. *frugalitas. Nam ut animus luxu solvitur, inquit Seneca, ita frugalitate firmatur.* Moderatus autem opum usus cum magna sapientiæ laude est conjunctus, secundum illud Thomæ Mori:

*Utere divitiis tanquam moriturus & idem  
Tanquam victurus parcito divitiis.  
Parcere divitiis qui tempore novit & uti,  
Ille modum servans inter utrumque sapit.*

Contraria vero adjuncta prodigalitatæ concomitantia & consequentia sunt pessima. Concomitans est turpitudine. Nam Cicerone teste *turpissimum est sinere rem familiarem dilabi.* Consequentia sunt: paupertas, rapinæ, furta, honoris jactura.

ctura. Hinc Tiberius Cæsar prodigos fenatores cum ignominia ab officiis publicis removit. Pertinet huc vetus illud:

*Ædificare domos & parcere corpora multa  
Ad paupertatem proximus est aditus.*

Nec non illud Horatii:

*Serviat æternum qui parvo nesciat uti.*

Exemplum autem Parsimonix insigne habemus in Pomponio Attico, quo, cum opulentia afflueret, nemo fuit minus emax, minus ædificator. Cato senior agebat, duobus proventibus se rem familiarem regere & augere; parsimonia & agricultura, quarum altera fructus præbet, altera modum usus adhibet. Cavendum vero, ne fordida sit parsimonia, & in avaritiam degeneret. Avaro enim quid mali optes, nisi ut diu vivat?



## X X I X.

## ASTU DOMATUR VIOLENTIA.

*Quid ruis immensis, Leo, fretus viribus; ecce,  
Frustra es: plus astus ingeniumque valent.*

**N**Arrat Munsterus in sua Cosmographia, anno supra millesimum quadringentesimo, & septuagesimo, orta diffensione inter Episcopum & cives Colonienfes, duos Ecclesiæ Cathedralis Canonicos consulem quendam sibi inuisum, postquam eum verbis blandis ad prandium invitassent, fraude illectum, cameræ sive cavernæ inclusisse, parato ibi, quem habebant Leone, jam satis fame macerato, ut hominem vivum laceraret: illum vero, simulac Leonem irruentem vidisset, protinus manum lacinia rectam belluæ gutturi ingessisse, atque hoc modo pene suffocatam gladio trajecisse. Lyfimachus quoque, Agathoclis filius, sævissimo Leoni objectus subito manum pallio involvit, atque ea ori belluæ ingesta, simulque præhensa ejus lingua facile enecavit. Capitur etiam Leo velatis oculis, ut his versibus non nemo innuit:

*Vincere si sævum cupis & vincere Leonem:*

*Fac oculos vincas, & Leo victus erit:*

*In pugnis oculi primum vincuntur & aures:*

*Lumina qui potuit vincere, victor abit.*

H

Do-

Docemur igitur hoc emblemate, consilio & arte sæpe plus  
effici quam vi.

Hinc illud Græci:

*Διμήν ἀτυχίας ἐσὶν ἀνθρώποις τέχνη.*

*Ars est hominibus portus infortunii.*

*Lib. II.  
Fastor.*

Ovidius dixit:

- - - *Ubi vincere aperte*

*Non datur, insidias, armaque tecta parant*

*Fraude perit virtus. - - -*

## X X X.

## VIRTUTE SUPERATUR DOLUS.

*Eludit virtus artes heroa dolosas.*

*Strenuaque immotum dextra revellit opus.*

**V**Is uti facile superatur arte, ita quoque virtute superatur dolus. Per virtutem autem intelligo fortitudinem illam, quæ prudens, fortis ac temperans est. Fortitudo enim, si consilio fulciatur (nam sine consilio integra non est) quidvis contra paratur, disjicit atque convellit. Agis igitur sciscitanti, quot essent Lacedæmonii? *Quot satis sunt*, inquit, *ad propulsandos malos*: ostendens referre, quam fortes viros haberet civitas, non quam multos. Magis hoc tamen procedit, si animi fortitudinem spectes. Robustus enim animus nihil in hac vita pertimescit, neque insidias Diaboli, neque illecebras mundi. Quicquid obstat, nihil; momento rumpitur:

*In via virtuti nulla est via.*

Hinc illud Græci:

*Ἄμμε δὲ γ' ἐσόμεθα πολλῶν κάρρωνες.*

*Nos fortitudine plurimum præstabimus.*

Fortitudo namque animi inexpiabili prælio adversus omnia vitia decertat: invicta ad labores, & fortis ad pericula, ri-

gidior adversus voluptates: ut avaritiam fugiat, tanquam labem quandam, quæ virtutem effœminat. *Est fortitudinis proprium, & magnitudinis animi*, inquit Cicero, *nihil extimescere, omnia humana despiciere: nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare.* Idem alibi: *Qui magno animo est atque forti, omnia quæ cadere in hominem possunt, despicit & pro nihilo putat: atque iste vir altus & excellens magno animo vere fortis, infra* *Ephes. VI. se omnia humana ducit.* Recte vero Paulus: *Iratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus.* *Esaï. XII.* Nam ut ait Propheta: *Fortitudo nostra & laus nostra Dominus: factus est nobis in salutem.* Quo & pertinet *il- Cap. XXV. lud: Factus est fortitudo pauperi: fortitudo egeno in tribulatione sua.*

## X X X I.

## NIL NON DOMABILE.

*Stet sonipes licet ore ferox, hunc fræna cœrcent,  
Currere conantem saxea pila vetat.*

**E**Quus licet ferocissimus facile domatur, si sit prudentia; quidni effrenæ libidines & carnis cupiditates domari possent, si sit consilium? Arduum fateor hoc esse (nam ut ait Terentius, *ingenium est omnium hominum proclive ad libidinem*) non tamen tale, quod omnino fieri nequeat: unde & illud Augustini. *Nolunt homines esse potentes contra vitia atque libidines, cum tamen plane oportet, ut unusquisque eam potentiam appetat: ut potens sit in se ipso.* Virium scilicet satis est, nisi desit voluntas. Non tamen quisquam vere potens dicetur, si non hanc suam potentiam in semetipsum & pro se ipso exerceat.

*Qui se volet esse potentem  
Animum domet ille ferocem.*

Neque enim cupiditatibus moderari est se servum facere, ut autumant illi, qui nisi quod oculis, auribus ac abdomini blandiatur, in bonis habendum putant; sed plane liberum, siquidem libertas est potestas vivendi ut velis. Is autem vivit ut vult, qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atque provisa est; qui legibus quidem



non propter metum paret; sed eas sequitur atque colit; quia id salutare maxime esse judicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter ac libere: cujus omnia consilia, resque omnes, quas gerit, proficiscuntur, eodemque referuntur: nec est ulla res, quæ plus apud eum polleat: quam ipsius voluntas atque judicium. Cui quidem etiam fortuna ipsa cedit. Quapropter & Horatius:

Lib. II.  
Sæc. 7.

*Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi que imperiosus.  
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula  
terrent*

*Responsare cupidinibus, contemnere honores  
Fortis, & in se ipso totus teres atque rotundus,  
Externi nequid valeat per leve morari,  
In quem manca ruit semper fortuna.*

*In Joan. Neque vero omittendum illud Augustini: Vis ut caro ser-  
viat animæ tuæ: Deo seruiat anima tua: debes regi, ut  
possis regere.*

## X X X I I.

## FORTITUDO LUCIS INDIGA.

*Nil tibi strenuitas temeraria cæcaque proſit:  
At quæ conſilii lumine clara videt.*

**V** Is conſilii expers ipſa ſibi gravis. Hinc illud Flacci:

- - - *Non ſolis viribus æquum  
Credere; ſæpe acri potior prudentia dextra.*

Fortitudo namque deſtruitur, niſi per conſilium fulciatur: quia quo plus ſe poſſe conſpicit, eo virtus ſine moderamine rationis deterius in præceps ruit. Quid ſi vel Cyclops exoculatus manus quoque verſum porrigat? quid ſi viribus ſtolide ferox omnia tentet abſque iudicio? Strepitum hi excitant, nihil efficiunt, nonnunquam & pereunt. Unde & Juvenalis:

- - - *Viribus ille  
Conſiſus periit admirandiſque lacertis.*

Neque enim corpora vaſtiſſima, neque exercitus numeroſiſſimus quicquam valent, niſi conſilio regantur: tanto magis ſibi in perniciem, quanto magis ſua mole premantur. Cæterum quæcunque tandem ſpectes, nihil in hac vita conſiſtere  
potest

potest nisi prudenti disciplina gubernatum & consilio. Contra si vires prudentia fulciantur, facile quidvis perferre, quidvis efficere possunt.

*Nullum numen abest, si sit prudentia.*

## XXXIII.

## NON VI, SED TUTIUS ARTE.

*Non semper valide præstant munimina vires:*

*Sæpe ingens sola pellitur arte malum.*

**F**erocissimus animalium Leo ; audax profus & cunctis terrorem incutiens ; unde & in Heroum sepulcris Leonum simulacra statuebantur ; quod non tantum vetus Scholiastes Horatii ad Epod. XVI, sed & Levinus Torrentius observavit, addens , talia simulacra Leonum in Italia passim conspici. Quanquam vero tantis sit Leo viribus , ut sibi vel ab audacissimo nihil timeat, paratus in prælium, ore & unguibus, quodcunque sit obvium, sæde dilacerans, tamen nullo negotio pellitur , si quis edoctus ejus naturam, ignem modo struat vel tædam accendat : conspecta enim flamma subito expavescit ac nemine insequente fugit. Hinc patet verissimum esse, arte & consilio subinde effici, quod vi nequaquam potest. Hujus rei passim in historiis exempla sunt obvia. Quoties enim hostes territi, exercitus fusi, ingens malum aversum non vi sed sola agendi dexteritate. Sæpe & hoc contingit in rebus domesticis: nam in his homini multa eveniunt, quæ vi minime averti possunt: solo autem consilio avertuntur. Hercules vix contra duos, Nestor autem contra centum. Hinc

Ciceronis : *Sapientis animus magnitudine consilii optime  
 septus , vinci aut expugnari non potest.* Nec abludit,  
 quod habet Augustinus : *Ubicunque fuerit providentia,  
 ibi universa contraria frustrantur.* Interim tenendum  
 est illud , ne ad bonos fines adhibeamus mala media.  
 Nam vir vere prudens veram rectamque adhibet consulta-  
 tionem , honestis utitur mediis , turpibus abstinet , gnarus  
 non facienda mala ut eveniant bona.

## X X X I V.

QUOD GEMINUM EST PLUS USQUE VALET.

*Unitæ vires & consociatæ potestas*

*Nihil sibi non tutum reddit & omne domat.*

**S**Cilurus Scythia liberos octoginta masculos habens, cum esset moriturus fasculum jaculorum singulis porrexit, iustique frangere. Id cum singuli recusassent, eo quod videretur impossibile; ipse singula jacula exemit, atque ita facile confregit omnia. Quo facto filios admonens; *Si concordēs, inquit, eritis, validi invictique manebitis; contra si dissidiis & seditione distrahemini, imbelles eritis, & expugnatu faciles.*

Et fane quod urbes & olim, & hoc nostro sæculo hosti cedere, ducibus in diversa studia, & consilia distractis, aut nationum inter se æmulatione, invidia, dissensione? quas inter si unitas & concordia fuisset, hostem in campo, aut ipso in vallo, ad internecionem delevissent, obsidionem solvissent, urbes servassent, atque optima spolia reportassent. Quod factum legimus in obsidione Bethuliæ, ab immensis Assyriorum castris, quos cives, *quasi vir unus* egredientes, fugarunt, fuderunt, mactarunt, ac ingentibus spoliis divites, victores, ac triumphatores in urbem reversi sunt. Quid enim, obsecro, tantas vires addidit hominibus prope victis? Pro-



*Judith*  
XV. 4.

fecto nihil aliud quam unanimitas atque concordia: *Quoniam Assyrii NON ADUNATI in fugam ibant præcipites; filii autem Israël UNO AGMINE persequentes, debilitabant omnes, quos invenire poterant.* Barbaras quæso respicite nationes. Nonne Turcarum imperium ad tantam magnitudinem processit, eo quod uno quasi spiritu animati discordes atque dissentientes facile superarint? Nam ut vocibus simul junctis gravior fit concentus, ita quoque viribus simul junctis major fit potestas. Agefilaus igitur interrogatus, quam ob causam Sparta mœnibus non cingeretur, ostendit cives armatos & unanimes: *Hi, inquit, sunt civitatis Sparta mœnia.* Idem, cum interrogasset quidam, respondit, civitatem non saxi lignisve, sed pro vallis ac mœnibus incolentium virtute muniri oportere: *Quos, inquit, si jungit concordia; nullus potest esse murus expugnabilior.* Hæc autem concordia maxime necessaria in pugna spirituali adversus potestates tenebrarum, cum quibus assidua nobis colluctatio est. Huc spectat illud Tertulliani: *Diabolus inveniat vos munitos & concordia armatos, quia pax vestra bellum est illi.*

*Ad Mar-*  
*tyr.*

## X X X V.

## UNUMQUODQUE SUIS ARMIS MUNITUM.

*Nil movet intrepidum sævi canis impetus aprum,  
Quem tutum à morfu ferrea seta facit.*

**O**Mnibus quidem & singulis animantibus a natura arma viresque concessa sunt, ut se, vitam, corpusque defendant, declinentque ea, quæ nocitura videantur. Dentibus enim vel cornibus, unquibus, crustis, squamis, spinis, aliisque id genus rebus armata atque munita sunt, ut vel vim vi propulsare, vel alio quocunque modo se tueri valeant.

- - - *Omnibus hostem  
Præsidiumque datum sentire & noscere telis  
Vimque modumque sui. - - -*

Lucretius:

*Sentit enim vim quidque suam, qua possit abuti;  
Cornua nota prius vitulo quam frontibus exstant:  
Illis iratus petit atque insensus inurget.*

Porphyrus quoque tertio de non esu animalium: *Novit unumquodque animantium, quæ pars sui infirma sit, quæ valida; illi cavet, hac utitur, ut dentibus Pardalis, Leo & unguibus & dentibus; Equus ungula, Bos cornibus.* Chryostomus de Statuis undecimo: *Ratione quæ carent,*

*arma in ipso habent corpore, ut Bos cornua, dentes & setas  
Aper, unguis Leo. Mibi vero non in corporis natura,  
sed extra corpus Deus arma posuit.* Omne igitur animal,  
sive brutum, sive ratione præditum habet, quo se defendat;  
ac novit, qua parte potissimum valeat. Hinc sæpe videmus, ut  
quæ vel specie minora sunt, sibi a majoribus nihil timeant. Ne-  
que enim hoc tantum procedit in iis, quæ ἀλογα dicuntur, sed  
etiam in rationalibus respectu brutorum, aut sibi invicem  
oppositis. Nam si ego exempli gratia promptus manu, al-  
ter erit consilio, & si ego viribus corporis instructum me vi-  
deo ad audendum, alter ingenio se longe instructiorem vide-  
bit ad declinandum. Quapropter, si quis hostem contemnat,  
sibi vero gratuletur, is profecto se magno exponit periculo:  
nam & omnis belli Mars est communis, & exitus præliorum  
semper incerti sunt. Hoc, ni fallor, respexit Lactantius, cum  
ait: *Sapientis non est velle certare, & periculo se velle  
committere: quoniam & vincere non est in nostra potestate,  
& anceps est omne certamen.*

Lib. VI.

## XXXVI.

## A L I U D A L I I F U L C R O.

*Fidus is est demum, qui nondum rebus amici  
Collapsis, vires subgerit ipse suas.*

**R**Ecte monet Ambrosius: *Necessitates aliorum quantum* De Offic. *possumus juvemus; & plus interdum, quam possumus. Nihil tam secundum naturam est, quam juvare consortem naturæ. Vult enim Deus unumquemque alterius angustias ut proprias sentire; & quomodo in tali tribulatione, si esset, subveniri sibi cuperet: ita ipse alteri propter Deum subvenire non postponat. Bernardus: „ Tunc amor tuus „ ad te ipsum temperans erit: & justus, si quod propriis sub- „ trahitur voluptatibus, fratris necessitatibus non negetur: sic „ amor socialis efficitur, quum in communi protrahitur. Sed quemadmodum flamma defectu materiæ jam occidens, vento si exponas, hoc præsidio quasi fulva sustentatur, extincta autem non facile reviviscit; ita quoque amici facilius juvantur afflictis eorum rebus, quam desperatis. Nam & nutantibus quædam propria adhuc vis est, ubi vero ceciderint, magno demum labore eriguntur. Huc respexit Seneca, cum ait: *Succurrere paupertati amicorum stude, imo potius succurrere.* Notum est illud Plauti:*

*Is amicus est, qui in re dubia re juvat, ubi re opus est.*

Ovi-

De Ponto. Ovidius dixit:

I V X X X

*Brachia da lassæ potius pendenda natanti,  
Nec pigeat mento supposuisse manum.*

De Doctr.  
Christ.

Notandum tamen, quod habet Augustinus: *Homines omnes æque diligendi sunt, sed omnibus si prodesse non possis, his potissimum subveniendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, tibi quasi quadam sorte uniuntur.* Nec omittendum est, ita aliud agendum, ut nostrum non obliviscamur negotium: amicis enim ita prodesse debemus, ut nobis non noceamus.

XXXVII. CON-

## X X X V I I .

## CONTENTIO AUGET VIRES.

*Exacuit validas acris contentio vires,  
Quodque ruit præceps, fortius usque ruit.*

**A**thletas videmus quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque conflare: exigere ab his per quos certamini præparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur, & si non inveniunt singulos pares, pluribus simul obijciuntur. Ut enim palmæ arboris ramus imposito onere non inflectitur in terram cæterarum more; sed renititur & ultro adversus sarcinæ pondus erigit sese; ita quoque viri fortis ac probi animus, quo plus negotiis premitur, quove magis fortuna sævit, hoc est erectior. Ea namque virtutis est natura, ut, nisi adversum quid sibi habeat, protinus languescat. Ubi vero adversarium nacta sit, tanto acrius contendit, quanto majora sibi invenit impedimenta. Hinc dicimus probitatem excitari rebus adversis. Unde & illud Senecæ: *Marcet sine adversario virtus. Tunc apparet quanta sit, quantum valeat polleatque, cum quid possit, adversa ostendunt.*

Hoc & Ovidius significasse videtur, cum ait:

*De Ponte.*

- - - *Tendit in ardua virtus.*

Tanto enim unusquisque ad virtutem verius profecisse

K

se



se demonstrat, quanto adversa aut robustius tolerat, aut fortius repellit. Pertinet huc illud Horatii:

- - - *Vivite fortes*

*Fortiaque adversis opponite pectora rebus.*

*Vir, inquit Cassiodorus, vocatur a viribus, qui nescit in adversis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elatione se jactare: sed animo stabili defixus, & caelestium rerum contemplatione firmatus, semper manet impavidus.*

## X X X V I I I.

## AMBIGUIS ALIS MOBILIS HORA VOLAT.

*Tempora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus annis;  
Et fugiunt freno non remorante dies.*

**O**Mnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cœlo. Sicut unda undam propellit, ita dies diem trudit. *Eccleſ. v.*

*Cuncta fluunt, omniſque vagans formatur imago.  
Ipsa quoque aſſiduo labuntur tempora motu:  
Non ſecus ac flumen, nec enim conſiſtere flumen,  
Nec levis hora poteſt: ſed ut unda impellitur unda,  
Urgeturque eadem veniens urgetque priorem:  
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterque ſequuntur,  
Et nova ſunt ſemper, nam quod fuit ante, relictum eſt,  
Fitque quod hoc fuerat, momentaque cuncta novantur.*

Attendentes hanc infinitam temporis velocitatem alii non immerito cum alis depinxere, quibus ejus velocitas inſtar avis quæ pernici volatu per aëra fertur, non inſcite exprimitur. Idque a Poëtiſ, non de annis duntaxat, ſed & de horis decantatum. Pelignus vates:

- - - *Nihil eſt annis velocius.*

Et Seneca Tragicus:

*Volat ambiguis mobilis alis*

*Hora. . . .*

*Seneca*  
*Ep. 108.*

Observat autem Philosophus, Virgilium cum de celeritate temporis agit, nunquam alio verbo uti quam *fugit*:

*. . . Fugit irreparabile tempus*

*Optima quæque dies miseranda mortalibus ævi,*

*Prima fugit. . . .*

*Phos. V.*

Ex quibus hæc Lucilio suo nobisque præcepta tradit: *Nisi properamus, relinquimur: agit nos, agiturque velox dies. Nunquam dixit Virgilius, dies ire; sed FUGERE, quod currendi genus concitatissimum est. Quid ergo cessamus nos ipsi concitare, ut velocitatem rapidissimæ rei possimus æquare: meliora prætervolant. Quoniam igitur tempus adeo velox fit, ut passim cum alis exprimatur: anni & horæ alatae sint, & instar avis tempus prætervolet, quid melius dici potest, quam quod dixit Apostolus: *Redimentes tempus.* Ea enim jactura rei gravissima est, quæ semel amissa recuperari non potest.*

*Ovid. lib.*  
*VI. Fast.*

*Nec quæ præteriit, rursus revocabitur unda,*

*Nec quæ præteriit, hora redire potest.*

F I N I S.